

3. Quando praedictae Orationes non sunt recitatae in Missa Nuptiarum, debentne recitari extra Missam elapso tempore prohibito?

Emi et Rmi P. Sacris tuendis Ritibus praepositi . . . respondendum censuerunt: „Serventur Rubricae Missalis ac Generalia memorata Decreta, quibus edicitur, ut, quoniam temporibus ab Ecclesia vetitis locum habere nequit sollemnis benedictio Nuptiarum, illa pariter inhibetur commemoratio pro Sponso et Sponsa in Missa occurrente, neque Orationes resumptae extra Missam tempore prohibito jam elapso.“

Atque ita rescripserunt, declararunt ac servandum omnino mandarunt die 31. Aug. 1839 n. 4868.

Dum in suo generali Decreto pridie Cal. Mart. anno 1818. S. R. C. edixit, ut Missae votivae privatae pro Sponso et Sponsa legantur sine *Gloria* et *Credo*, cum tribus Orationibus, *Benedicamus Domino* et Evangelio S. Joannis in fine: Rmus Eysteten Episc. S. eidem C. exposuit, in Bavaria et praesertim in Paroeciis Pagorum hujusmodi Missas plerumque celebrari cum cantu, quamvis unicus sit Sacerdos, quas quidem Missas cum cantu in praesentiarum prohibere difficile admodum arbitratur. Quibus positis sequens exhibuit Dubium, nimirum: An Missae pro Sponso et Sponsa, quando celebratur cum cantu, addi queat Hymnus Angelicus cum Symbolo Nicaeno? Et S. ipsa C. in Ordinariis Comitibus ad Quirinale sub-signata die coadunata, re mature perpensa, ad relationem infrascripti Secretarii respondendum censuit: „Negative ad Dubium; in Paroeciis vero, ubi unus tantum Sacerdos, Dominicis Festisque diebus Missae occurrenti addatur commemoratio pro Sponso et Sponsa in casu.“

Atque ita servari mandavit, n. 4869 die 31. Aug. 1839.

Ad dubium: An in Missa pro Sponso et Sponsa dicenda *diebus Rogationum* earundem commemoratio facienda sit?

Et Sacra eadem Congregatio sub infrascripta die ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata, referente infrascripto Secretario, respondendum censuit:

„Affirmative juxta generalia Decreta die 20. Decembris 1783 et 3. Martii 1818.“

Atque ita declaravit die 28. Julii 1832. n. 4691 ad 4.

1. Sacerdotem non teneri missam applicare pro sponsis, nisi ab iisdem eleemosynam accipiat;

2. hanc missam post contractum coram paroco matrimonium de ejus licentia posse ab alio sacerdote celebrari;

3. in eadem missa plures posse sponso benedici. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

In die Commem. Omn. fid. def. legi potest missa pro Sponsis, non vero alia votiva.

S. C. R. 7. Sept. 1850.

Non licet sponso benedicere in Missa pro def., sed potius transf. est benedictio in aliam diem. S. C. Inq. 1. Sept. 1841.

v) Substituine potest alia missa pro votiva?

Vd.: *Missa vot.* (cantata.)

Ad dubium: Si prohibentur, an debeant pro votivis substitui missae de festo? An hae in cantu? S. C. resp.: Affirmative. S. R. C. Die 22. Decb. 1753 ad 7 n. 4237.

w) Vetita.

Vd.: *Missa prohibita*; *Missa de req. priv.* in dupl. (decr. *Romana*.)

89) „Vultum tuum.“

Ad dubium: an post Septuages. in missa pro virgine *Vultum tuum* dicto V. post Graduale repeti nihilominus debeat in Tractu vel prosequi: Quia concupivit? S. C. resp.: In casu proposito V. *Audi filia* non esse repetendum. n. 4526 ad 24 die 7. Sept. 1816.

Mechlinien.

Modernus Typographus Archiepiscopus Mechlinien., quum praevio Emi D. Card. Archiep. permissu aggredietur novam Missalis Rom. editionem, volensque ut in illa nihil occurrat, quod aliquo modo S. R. C. Decretis adversetur, eidem humillime supplicavit declarari: utrum juxta Decretum in Tuden. die 7. Sept. 1816 ad Dubium 14. in Missa de Comuni Virg., cujus Introitus: *Vultum tuum*: ejusque in Tractu quando dicitur post Septuag. ad Pascha integer v. *Audi filia*: sit omittendus, utpote jam recitatus in Graduali, an incipiendus a seq. verbis: *Quia concupivit*: in eodem non dictis. Et S. eadem C. ad Quirinales Aedes infrascripta die Ordinariis in Comitibus coadunata ad relationem subscripti Secretarii, omnibus rite matureque examinatis rescribendum censuit: „Juxta recensitum Decretum v. in casu esse omittendum.“

Atque ita rescripsit ac servari mandavit. n. 4936 die 11. Sept. 1841.

Vd.: Missale (Correctio, E. n. 46.).

MISSALE ROMANUM.

1) Aperitio.

In missis privat. permitti non potest Ministro aperire Missale et invenire missam. n. 4526 ad 11 die 7. Sept. 1816. *Instr. Cl.* §. XXX. n. 25, 26.

2) Approbatio.

Vd.: *Libri ecclesiast.*; *Officium Roman.*, et:

Pii PP. Quinti et Clem. VIII.

Brevia in principio Missalis apposita.

*Clericorum Regularium
Congregationis Somaschae.*

Etsi Gen. Decreto de Anno 1834 IV. Kal. Maji S. R. C. certas statuerit leges quoad Breviaria, Missalia, Officia parva B. M. V., Officia Hebdomadae maj. aliaque hujus generis, quae ab anno praesertim 1788 ac deinceps praelo fuerunt commissa, quin praeserant Ordinariorum Attestationes, quae declaretur in cusione servatas fuisse regulas in Bullis Summorum Pont. Rom. S. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. indicatas et in suo robore plenissime perseverantes, atque insimul commendatum maxime fuerit iisdem Rmis Locorum Ordinariis, ut in posterum pro suo munere invigilarent, ut Bullae ipsae ac subsequencia Decreta omnino servarentur in hujusmodi Librorum cusione, attamen pro parte Rmi P. Procuratoris Gen. Clericorum Reg. Cong. Somaschae duo haec Dubia pro opportuna solutione exhibita fuere eidem S. R. C., nimirum:

1. An liceat uti Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis S. Libris, qui non praeserant requisitas a Pontificiis Constitutionibus Ordinariorum attestations, perinde ac si per praescriptionem in contrarium memoratae Constitutiones censi debeant non amplius in suo robore permanentes?

2. An enunciatis Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis Libris licite quis uti possit, si Ordinarii Locorum praevia revisione a se instituta declarent eosdem plene concordare cum aliis Romae cusis et de more revisis et adprobatis?

Et S. eadem C. ad Vaticanum hodierna die coadunata in Ordinario Coetu,

corda nostra ignis ille divinus accendat, qui Cor B. M. Virginis ineffabiliter inflammavit. Inspectis rubricis Secreta concludenda videtur: *Per eundem Dominum* etc. eo, quod initio orationis mentio fiat Filii Dei. Nihilominus quum in missa, quae asservatur in actis Sacrorum Rituum Congregationis, Secretae conclusio sit: *Per Dominum*... quaeritur: Quomodo sit Secreta haec concludenda?

Ad XVIII.: Concludendam esse verbis: *Per eundem Dominum* etc.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum S. Rituum Congregationis secretarium SSmo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua superiores responsiones Congregationis particularis a se deputatae ratas habere et approbare dignata est: contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 27. Septembris 1860.

Decreta inserenda post rubricas generales Missalis.

Urbis et Orbis.

SSmus Dominus Noster Pius Papa IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consilio summam apponi et imprimi mandavit in principio missalis duo ab eadem S. Congregatione alias edita decreta videlicet:

Quando occurrit dedicatio basilicarum SSmi Salvatoris et Sanctissimorum Apostolorum Petri et Pauli infra octavam dedicationis aliarum ecclesiarum, sumatur pro commemoratione alia oratio de communi: Deus qui invisibiliter. Die 25. Septembris 1706 ad XI.

Orationes pro romanorum imperatore tam in missa Praesantificatorum feriae VI. in Parasceve quam in fine praeconii paschalis Sabbato Sancto ob sublatum romanorum imperium non amplius recitentur. Retineantur tamen ut antea in novis missalibus. Die

25. Septemb. 1860 ad III. Die 14. Mart 1861.

Sequuntur, quae mutanda sunt:

A. In Missis de tempore ante Pascha.

1. *Fer. VI. post Cineres.* Ad Postcomm. delendum est verbum „ejusdem“ in fine juxta decr. S. R. C. 12. Novb. 1831 dub. 49 in *una Marsor.*

2. *Fer. VI. in Parasceve.* In oratione Crucis nonnulla missalia addunt ad rubricam: „discooperiens brachium dextrum Crucis“ verba haec: „et caput figurae Crucifixi“; quae verba sunt delenda.

3. *Sabbato Sancto.* Additio nonnullorum missalium ad rubricam positam ante „Exultet“ juxta quae Subdiaconus tunicella coloris violacei indutus est, delenda est.

4. *Ibid.* Ad Benedictionem fontis in II. Oratione ante Praefationem: Omnipotens sempiternus Deus, adesto magna etc., verbum „ejusdem“ in fine delendum est.

5. Post hanc orationem posita est rubrica: „elevans vocem in modum Praefationis prosequitur“, hic addendum est: junctis manibus (S. R. C. 23. Sept. 1706, ad 11.); tota enim Praefatio „junctis manibus“ cantanda est.

6. In Oratione missae Sabb. s.: Deus, qui hanc sacratissimam noctem etc. verbum „ejusdem“ in fine est delendum.

B. Ordo Missae.

7. *Praefatio de Nativitate.* Loco nunc existentis rubricae ea, quae posita est in editione romana anni 1714, restituenda est: „*Sequens Praefatio cum suo cantu dicitur in Nativitate Domini J. Chr. usque ad Epiphaniam (praeterquam in die Octavae S. Joannis Apostoli) et in Purificatione B. M. et in festo Corporis Christi et per Octavam, nisi in ea occurrat festum,*

quod propriam Praefationem habeat. Item in Transfiguratione Domini et in festo SS. Nominis Jesu.“ In Praefatione de Nativitate saepius post Communicantes rubrica posita est: „Tenens manus extensas“, quae verba sunt delenda.

8. *Praefatio de Cruce.* Finis rubricae hoc modo est mutandus: *assignetur in solemnitatibus SSmae Crucis et pretiosissimi Sanguinis D. N. J. Chr.*

9. *Praefatio de Trinitate.* In Fine rubricae in initio positae loco: „S. R. C. 3. Januar 1759“ legendum est: „Clemens PP. XIII. etc.“

10. *Praefatio de B. M. V.* In rubrica verbum „Immaculata“ delendum est; item verba: „vel desponsatione.“ Post verbum „denominationem“ punctum est ponendum, deinde perge: In dedicatione S. Mariae ad Nives et in festo ejusdem SS. Nominis etc.

C. Missae de tempore post Pascha.

11. In Dominica Resurr. ad Postcommunionem legendum est: „Dux vitae mortuus, regnat vivus“ et non: „Dux vitae, mortuus regnat vivus.“ In eadem Postcomm. verbum „ejusdem“ est delendum.

12. *Sabbato in albis.* Hic et in aliis missis de tempore Paschali in nonnullis editionibus duo prima Alleluja sequentis cantus in eadem linea posita sunt una cum ultimis verbis epistolae.

13. *In Vigilia Ascensionis* rubrica „Vel secunda de B. M., tertia: *Quaesumus Domine*, vel: *haec nos* etc. est vera, erronea vero „In ecclesiis collegiatis, ut supra, secunda erit de S. M., tertia: *Protege nos* vel: *Oblatis*

14. *In Octava Ascensionis.* In fine missae posita est rubrica „Feria VI. post Octavam“ etc.; in nonnullis editionibus verba „etiam translatum“ irrepserunt.

D. Missae de Sanctis.

15. *Die 9. Decbr.*: Rubrica: „Infra Octavam Concept.“ ita legenda est: „dicitur secunda oratio de feria, tertia vero, quando non fit commemoratio festi simplicis, dicitur de Spiritu Sancto. Additio: „Si vero“ omnino est delenda.

In missis SS. Damasi et Luciae, quae incidunt infra octavam immac. Concept., post evangelium addenda est rubrica: „Credo ratione octavae.“

16. *Die 20. Dec.* Vigil. S. Thomae Ap. In rubrica loco verborum: „ut in Communi Sanctorum“ ponenda sunt alia: „ut in Vigilia unius Apostoli.“

In missa de festo ad Graduale post verbum „collaudatio“ punctum est ponendum.

17. *Die 11. Jan.* In missa s. Hygini P. M. rubrica ponenda est: „Tertia Oratio dicitur de S. Maria, nisi venerit in Dominica.“

18. *Die 14. Januar.* Ad nomen S. Hilarii E. addendum est: „et Ecclesiae Doctoris.“

19. *Die 19. Jan.* In Missa S. Canuti delenda est rubrica: „semiduplex ad libitum.“ Post rubricam: „Et fit commemoratio SS. Marii etc.“, addendum est: „Tertia de S. Maria: *Deus qui salutis* etc., cujus Secreta: *Tua Domine* etc. ex Missa votiva a Purificatione ad Pascha.

20. *Die 2. Febr.* Purific. B. V. M. Rubrica in initio ponenda haec erit: „Si hoc festum venerit... transfertur in feriam secundam immediate sequentem quocumque festo etiam aequalis non autem altioris ritus in ea incidente. S. R. C. 22. Julii 1748.

21. *Die 20. Mart.* Quadraginta Martyrum. Post rubricam: „Deinde fit commemoratio feriae“, addendum est: „Tertia Oratio: *A cunctis.*“

Rubrica ad Secretam et Postcomm. posita delenda est.

audita relatione a subscripto Secretario facta, perpendens in memorato Gen. Decreto utrumque Dubium contemplatum fuisse, quin ipsis directe satisfaceret, rescribendum edixit: „Servetur Gen. Decretum diei 26. Apr. 1834.“ Die 18. Febr. 1843 n. 4957.

Brixien.

Quum Sacerdos Hieronymus Bambosio Brixienensis Civitatis animadvertat, ut plurimum non servari Constitutiones Apostolicas positas in Missalibus et Breviariis, quibus jungitur, hujusmodi volumina aliaque Divinam Psalmidiam respicientia typis mandari non posse, quin praeserant Ordinariis attestations, ac indubie constet concordare cum aliis regulariter jam censis, idque sub Excommunicationis majoris poena, neque saltem exequi, quae per gen. Decretum S. R. C. praescripsit de anno 1834 VI. Kal. Maji, humillimis datis precibus S. eandem C. enixe rogavit, ut super sequentibus Dubiis suam aperire dignaretur sententiam, nimirum:

1. An hujusmodi Breviariis, Missalibus aliisque Ecclesiasticis Libris, memoratis in Apost. Literis et Decreto anni 1834, debita attestations destitutis, uti quis possit absque peccati et incurrendae Excommunicationis periculo?

2. An in casu negativo excusari saltem possint ii de Clero, qui hujusmodi libris utuntur ex eo, quod adprobatis conformes illos arbitrantur, vel quia communiter adhibentur quocumque secluso metu?

3. An idem dicendum de Missalibus etiam de Requie, quorum nullum praesertim, quod sciatur, requisitam attestations?

Et S. eadem C. in Ordinario Coetu ad Quirinale subscripta die coadunata, referente Secretario propositis Dubiis

diligenti accuratoque examine perpensis respondendum censuit: „Episcopo Brixienensi, qui ad tramites Decreti editi die 26. Apr. 1834 omnino provideat.“ n. 5066 die 27. Febr. 1847.

Ad dubium: 1. Utrum licita fuerit Annis 1748 et 1749 innovatio Breviarii ac Missalis Cenomanensis a ritu Romano prorsus diversi, amotis prius veteribus ad formam Romanam, correctis Breviario et Missali, sola Episcopi et Capituli Ecclesiae Cenomanensis auctoritate et inconsulta Sede Apostolica, facta aut probata?

2. Quatenus negative: Utrum saltem hujusmodi Liturgiae praescriptionis seu consuetudinis saecularis facta sit legitima, ita ut hodie quilibet Sacerdos Cenomanensis possit eam tuto conscientia servare?

3. Quatenus iterum negative: an quilibet Sacerdos Cenomanensis etiam Canonicus aut Parochus statim teneatur in conscientia tum et Horas Canonicas persolvere Missamque celebrare juxta Ritu Romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, tum et insuper omnibus quibus potest modis Rmo Episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro Divino Officio publico opportunis mediis et temporibus promoveri dignetur?

4. Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caeremoniale Episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum, ita videlicet, ut praecipuas praedictorum Librorum regulas, tolerantemper aut permittente aut etiam aliter quippe statuente Rmo Episcopo, Canonici aliive Sacerdotes possint illaesa conscientia infringere aut omittere, sicque Rmi Episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?

Emi et Rmi P. . . . rescribendum censuere:

Ad 1. „Negative.“

Ad 2. „Negative.“

Ad 3. „Consulat conjunctim utramque Constitutionem S. Pii V. videlicet illam quae incipit *Quod a nobis**) VII. Idus Julii 1568 et aliam quae incipit *Ex proximo***). XII. Kalendas Octobris 1571.

Ad 4. „Negative et amplius.“

Atque ita declaravit. n. 5165 die 10. Januarii 1852.

DECRETUM GENERALE.

Quum ab Anno 1788 ad hanc usque diem Breviaria, Horae-Diurnae, Missalia, Officia-Parva Beatissimae Mariae Virginis, Officia Hebdomadae Majoris, Ritualia aliaque id generis, quae denuo praelo mandantur, non amplius praeserant Reverendissimorum Ordinariorum Attestations, quibus declaretur haec Exemplaria concordare cum iis, quae Romae sunt impressa, ad tramites Bullarum S. Pii V., Clementis VIII. et Urbani VIII. Summorum Pontificum, quae in fronte Breviarii Romani reperiuntur, Sacrorum Rituum Congregationi supplicatum fuit declarari: „utrum etiamnum servari deberent recensitae Constitutiones Pontificiae et an transgressores poenas inibi inflictas incurrerent?“ Praesertim ex eo, quod in praesentiarum nullus supersit dubitandi locus, quin emendata Exemplaria prae oculis in cusione habita sint, eo vel magis quod non parum torquerentur conscientiae tum eorum, qui lucrum ex Liturgicorum Librorum venditione percipiunt, tum Ecclesiasticorum, qui illis uti debent, quum nullibi reperiantur hisce Attestationibus muniti propterea demum concedi, ut sine ulla dubitatione quis horum Librorum usum sibi permitti valeret. Et Sacra eadem Congregatio in ordinario Coetu ad Vati-

*) Vd.: *Officium romanum.*

**) Vd.: *Officium* (oblig. recitandi.).

canum sub die 7. Aprilis anno 1832 coadunata, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus mature perpensis accurateque consideratis, rescribendum esse censuit ac declarandum: *Pontificias Constitutiones in suo robore permanere et ab usum non esse tollerandum.* Hujusmodi Declarationi minime acquiescentes, qui primitus supplicarunt et probe quum intelligant contra legem latam non esse aliquo conatu pugnandum, iterum tamen institerunt, quo traderetur modus et forma quoad usum eorumdem Librorum, quin inflictas poenas ulla ratione quis in se convertat. Hisce precibus similiter ut supra relatis in altera Ordinaria Congregatione ad Vaticanum pariter sub die 16. Martii 1833 coacta Eminentissimi Patres Sacris Ritibus tuendis praepositi satius duxerunt super re iudicium differre. Coadunata demum apud Vaticanas aedes juxta morem eadem Sacrorum Rituum Ordinaria Congregatio, in eaque jam tertia audita relatione ab infrascripto Secretario facta, omnibus accurate libratis, rescribendum ac decernendum censuit: *Detur Generale Decretum juxta mentem.* Mens est, ut Ordinarii Locorum pro suo munere invigilent, ut denuo non cudantur supradicti Liturgici Libri sine Attestatione a Pontificiis Constitutionibus praescripta et quoad illos, qui hujusmodi Attestatione destituuntur et ab anno praesertim 1788 ac deinceps cusi fuere, aliquod Exemplar ex supradictis examini probatae Personae Ecclesiasticae subjiciant, quae illud conferat cum iis, qui in Urbe juxta morem sunt impressi (exceptis tum Breviario anno 1828 typis Contedini, ac Missali anno 1826 praelo De-Romanis censis, in quibus nonnulla menda irrepserunt), acceptaque fidei relatione Revisoris, quando illud adamussim concordare cum praedictis inveniatur, suo Clero declarent ipsi Or-

dinarii Breviaria, Missalia etc. illius impressionis perfecta esse, adeo ut illis licite et sine ulla dubitatione uti quis valeat. Ad praeccludendam demum omnem viam dubitationis tradendamque ipsis Ordinariis certam regulam, Typographi Romani deinceps ante impressionem horum librorum teneantur veniam a Sacra Congregatione impetrare illiusque revisioni subicere et Attestatione ejusdem Secretarii munire. Atque ita declaravit ac servari mandavit.

Die 26. Aprilis 1834 n. 4730.

De approb. Missalis, Breviarii, Martyrologii etc. FFr. Min. s. Franc. de Observ. Vd.: Constitut. Pii PP. VI. de die 6. Sept. 1785 (Bull. r. Continuatio t. VII. p. 427.).

3) Correctio.

Vd.: *Missale* (mutatio; approbatio.).

DECRETUM URBS ET ORBIS.

25. Sept. 1860.

Missale romanum.

Quum duo Romae nova missalia quamprimum debeant in lucem prodire, alterum ex typographia S. Congregationis de Propaganda Fide, alterum ex typographia Josephi Salviucci, Sacrorum Rituum Congregationis secretarius inhaerens decreto generali super editione librorum liturgicorum diei 26. Aprilis 1834*), sui muneris esse duxit omni vi eniti, ut eadem plene concordent cum archetypis editionibus Clementis VIII. ac Urbani VIII. nec non cum alia ad illas fidelissime exacta typisque S. Congregationis de Propaganda Fide anno 1714 impressa, pro qua adornanda ipsa S. Rituum Congregatio diebus 25. Septembris 1706 et 18. Septembris 1714 duo tulit Urbis et Orbis decreta. Quo vero secretarius praedictus propositam metam attingeret,

*) Vd.: *Missale* (approb. deer. n. 4730.).

viris non minus diligentibus quam rubricarum scientia praeditis in partem laboris adscitis, omnia illa, de quibus dubium aliquod exoriri potuit, non modo cum allegatis, sed quoties necesse visum est etiam cum quatuor aliis optima notae editionibus conferre curavit non multo post Urbanum VIII. censis, sive Romae anno 1643 a Bernardino Tani et anno 1677 a typographia Reverendae Camerae Apostolicae, sive Venetiis anno 1640 a Petro Ciera et anno 1654 a Francisco Boba. Confugit insuper ad decreta authentica Sacrorum Rituum Congregationis, atque ex iis tutissimam normam desumpsit ad plura, praesertim in rubricis emendanda vel rescedenda a typographis in recentioribus Missalis Romani editionibus immutata vel addita. Verum quum in hoc examine nonnulla sibi occurrissent gravioris momenti dubia, eadem discutienda ac dirimenda subiecit Congregationi Sacrorum Rituum particulari a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. hunc in finem delectae. Haec autem quum die 25. Septembris 1860 convenisset in aedes Emi et Rmi Domini Cardinalis Constantini Patrizi Sacrorum Rituum Congregationis praefecti, singulis mature perpensis, proposita dubia definivit ut sequitur:

Dubium VIII.: In omnibus antiquis editionibus Missalis Romani non exclusis illis Clementis VIII. et Urbani VIII. immediate ante missam Purificationis Beatae Mariae Virginis ita legitur: *Finita processione ... candelae tenentur in manibus accensae, dum legitur evangelium et iterum ad elevationem sacramenti usque ad communionem.* Huic rubricae in recentibus editionibus adjuncta fuerunt haec alia verba ad literam desumpta ex caeremoniali episcoporum lib. 2. cap. 26. n. 19.: *Si vero missa fuerit de dominica, candelae non accenduntur.*

Inficiari nequit additamentum istud in se spectatum eam utilitatem praeserre, ut rubricae uberius declarandae optime inserviat, ipsaque verba, quibus conceptum fuit, quatenus derivata ex Caeremoniali Episcoporum, vim legis habere. Nihilominus quum eadem additio nova sit et privato tantum arbitrio facta, quaeritur: utrum eadem conservari, an potius supprimi debeat?

Ad VIII.: *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* *).

Dubium XII. Post decretum Urbis et Orbis diei 10. Septembris 1847 nullum potest esse dubium, quin missa Patrocinii S. Josephi Confessoris Sponsi Beatae Mariae Virginis apponenda sit in corpore Missalis Romani. Sed quum missa haec ordinata sit pro tempore paschali, quaeritur: *Quomodo sit ordinanda missa Patrocinii S. Josephi in casu translationis post Pentecosten?*

Ad XII.: *Missam Patrocinii Sancti Josephi legi debere post Pentecosten uti ordinata est pro tempore paschali, demptis solummodo Alleluja sumptoque graduali, ex missa diei XIX. Martii cum versiculo proprio: Fac nos innocuam Joseph etc., et tribus Alleluja dispositis juxta rubricas.*

Dubium XIV. Post missam Sacrorum Apostolorum Simonis et Judae die XXVIII. Octobris recentiores Missalis Romani editiones hanc habent rubricam ignotam editioni Sacrae Congregationis de Propaganda Fide anni 1714 caeterisque antiquioribus: *Si in vigilia omnium Sanctorum occurrerit missa de aliquo festo semiduplici, tunc tertia oratio erit „A cunctis“ non vero de Spiritu Sancto.* Consonat certissime haec rubrica cum particulari decreto Sacrorum Rituum Congregationis in una Ordinis Capucinatorum diei 21. junii 1710 ad 2. Nihilominus quum eadem

*) Vd.: *Purificat. B. V. M.* (Candelae accend.)

desit, juxta dicta in omnibus antiquis editionibus, quaeritur: *An eadem rubrica conservari debeat?*

Ad XIV.: *Negative.*

Dubium XVII. Ad omnem incertitudinem adimendam circa interpretationem rubricae, quae legitur ante missam pro sponso et sponsa Sacra Rituum Congregatio decreto Urbis et Orbis diei 7. Januarii 1784 approbante Summo Pontifice Pio VI. declaravit: *In celebratione Nuptiarum, quae fit extra diem dominicum vel alium diem festum de praecepto seu in quo currat duplex primae vel secundae classis, etiam si fiat officium et missa de festo duplici per annum, sive majori sive minori, dicendam esse missam pro sponso et sponsa in fine missalis post alias votivas specialiter assignatam: in diebus vero Dominicis aliisque diebus festis de praecepto ac duplicibus primae et secundae classis dicendam esse missam de festo cum commemoratione missae pro sponso et sponsa.* Jam vero quum publice expediat, ut decretum istud minime ignoretur a parochis aliisque sacerdotibus ad nuptiarum benedictionem legitime deputatis, quaeritur: *An ex eodem decreto nova rubrica confici possit, quae apponatur in corpore missalis ante missam pro sponso et sponsa?*

Ad XVII.: *Affirmative ad formam decreti.*

Et quatenus negative: *An saltem decretum ipsum apponi possit initio missalis post rubricas generales?*

Resp.: *Provisum in primo.*

Dubium XVIII. In missa propria *Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis* a Sacra Rituum Congregatione approbata die 21. Julii 1855 ac inserenda in appendice Missalis Romani pro aliquibus locis Secreta ita se habet: *Majestati tuae, Domine, Agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut*